

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,  
 De  
**VULNERUM**  
**SYMPTOMATIBUS,**  
 QVAM  
 JEHOVA TRIUNO AUXILIANTE  
 JUSSU ET AUTORITATE  
 LLUSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ  
 FACULTATIS MEDICÆ IN ELECTORALI ET  
 PERANTIQUA AD NICRVM VNI-  
 VERSITATE,  
 SUB PRÆSIDIO  
 RECTORIS p. t. MAGNIFICI  
 VIRI NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI  
**ON. JACOBI**  
**ISRAELIS,**  
 MED. DOCT. ET P. P. CELEBERRIMI,  
 DN. PRÆCEPTORIS ATQ. PATRONI PER  
 ÆTATEM COLENDI;  
*Pro summis in Arte Medica Honoribus & Pri-  
 legiis rite consequendis,*  
 Publicæ Eruditorum Censuræ exponit  
**JOHANNES GEORGIUS CARISIUS**,  
 HIRSCHBERGA-SIBESIUS.  
 Ad Diem XIII. Martij, A. MDC LXXIII.  
 Horis Locoque consuetis.  
 Typis JOH. CHRISTIANI WALTERI, Acad. Typogr.

ILLUSTRIS REIPUBLICÆ  
VRATISLAVIENSIVM  
DOMINO  
PRÆSIDI

Ac  
Senatui Eminentissimo,  
PATRIÆ PATRIBUS

Optimis,  
Ejus

SYNDICIS AC SECRETARIIS

VIRIS

Magnificis, Maximè Strenuis, Nobilissimis  
Amplissimis & Consultissimis.

PATRONIS AC PROMOTORIBUS

Submissa animi devotione colendis,

Nec non

VIRIS

Nobilissimis, Consultissimo, Excellentissimis, Experientissimis,  
Amplissimis, Admodum Reverendo,

DN. IOH. BALTHASARO CARISIO, ICto. Reipubl. Sundinensis Proto-  
Syndico, Consistoriique, quod ibidem est, Directori gravissimo.

DN. IOH. IONSTONO, PHILOSOPHO, MEDICO, HISTORICO  
Incomparabili, & Hereditario in Ziebendorff.

DN. MARTINO KERGERO, MED. DOCT. & Reipub. Lignicensis Phy-  
sico famigeratissimo.

DN. SAMVELI SCHAFFIO, PATRITIO VRATISLAVIENSI,  
Viro integerrimo.

DN. CASPARO TORNAVIO, Ecclesiaz, quæ Wiesæ Lusatorum est, Pasto-  
ri vigilantissimo.

Dnn. Patrueli, Affinibus acque Evergetis summis, maximorū  
beneficiorum memor.

Observantiae & Gratitudinis monumentum

Hanc

DE VULNERVM SYMPTOMATIBVS

Dissertationem

L. M. Q.

Pono

JOH. GEORGIVS CARISIVS Silesius.

# Procœmum.



Um post examina privata, <sup>et</sup> publicum sit exhibendum per Inauguralē Disputationem : diu hæsi dubius quid ex Amplissimā Artium sit eligendum. Utilius verò invenire vix potui thema , quod in Praxi majora spondere possit emolumenta ; tum Pacis tum belli tempore , quàm quod Vulnerum quotidiè frequen-  
tium frequentia traderet Symptomata. Cum quoque ante trien-  
nium in celeberrimo Noricorum Athenæo sub moderamine Viri  
Magnifici Dn. D. Mauricii Hoffmanni , Facultatis Medicæ An-  
tesignani , Præceptoris atque Promotoris mei etatem suspiciendi ,  
theses medicas de Meliceria , malo nulli tractandorum pernicie  
secundo , Naturæque maximum facessente negotium , quod frequen-  
ter imperitam Vulnerum consolidationem in Plethoraicis & Cacochy-  
micis corporibus læsis comitari assolet , à me conscriptas solemnē  
disquisitioni publicè proposuerim. Symptomatum verò ,  
quæ hac vice sub incudem traham præcipua erunt sequentia ; Hæ-  
morrhagia , Syncope , Dolor , Inflammatio , Erysipelas , Febris ,  
Delirium , Convulsio , Pruritus , Paralysis , Atrophia  
& Hypersarcosis. Faxit Deus id fiat

FELICITER.



## SECTIO. I.

### De Hæmorrhagia.



Æmorrhagia, sanguinis eru-  
 ptio, extravasatio, profusio, pro-  
 fluvium das Bluten est excretio sanguinis  
 p. n. à solutione continui. Cum enim le-  
 ge circulationis, quam nemo hodie sa-  
 niorum in dubium vocat, Nectar hoc vi-  
 tale in omnibus corporis partibus sit omni-  
 præsens, si ab injuriis externis, sive il-  
 læ fuerint instrumenta incidentia, contun-  
 dentia & pungentia, hæque vel anima-  
 ta, vel inanimata, vel venenata vel toxicæ expertæ contingat,  
 velamenta membranacea sat valido nexu contexta dividantur & dis-  
 rumpantur, non potest non liquoris istius rubicundi profusio par-  
 cior vel largior, prout vasa minora, majora fuerint simul læsa,  
 fieri. Et quidem p.m. Dantur equidem aliæ sanguinis evacua-  
 tiones, quæ sunt cum sustinentis tolerantia, cum scilicet I. in corpo-  
 ribus plethoricis & habitu athletico vel præservationis gratia, ut  
 evitentur varij morbi futuri, quales sunt suffocatio, apoplexia,  
 ruptura vasorum, febres ardentes &c. prout majus vel minus im-  
 peditæ Flaminæ vitalis continuationis, vel etiam p. n. auctæ conflag-  
 rationis est periculum, vel Curationis causa in dictis affectibus  
 præsentibus, à prudentia Medici in brachio ob sectionis commo-  
 ditatem, vel alia corporis parte ob propinquitatem aut cohæren-  
 tiæ cum parte effecta, phlebotomo l. punctorio, l. incisorio  
 cutis cum vena subjacente transfoditur, & sanguis sufficiente co-  
 pia extrahitur. II. Si Natura molestias sibi creantem sanguinem

critico

critico conatu vel per Hæmorrhagias narium , vel per Hæmorrhoides , vel alias vias amolitur. De quibus lege sis Observationum Scriptores & disputationem nostram de Hæmorrhoidibus sub Clypeo Nobiliss. & Excellentissimi Dn. D. Georgi Franci , P. P. & Academicici Curiosi , Præceptoris & Evergetæ summè venerandi , in antiquissima hâc Electorali habitam. Nostræ verò Hæmorrhagiæ tanta sàpè est vehementia , ut non solum Curationem frustretur , sed & vires vitamque ipsam , quemadmodum lippis & tonsoribus notum est , adimat , cum mediante pulsū per canales devehentes sive arterias novus subinde sanguis soppeditetur , perque tubulos revehentes venas ob solutionem continui spirituum vitalium elaboratori & distributori Cordi , in minori longe quantitate , quam subministrabat , redditur , ipse etiam monatcha microcosmi ob pabuli & materiæ spirituum confectioni necessariæ denegationem tandem deficere cogatur & marcescere. Quo gravius itaque succi hujus nobilissimi jacturam vulneratus feret , eo majorem in fluxu sifstendo curam medicus , naturæ minister , adhibebit. Antequam verò operi ipsi se accingat , famæ suæ consulturus prognostico , si vas grandius fuerit læsum , cum tristis eventus ut plurimum tali in casti sequatur , sese muriat. Dein officio suo satisfaciet , si (1.) internis medicamentis sanguinem fibrosorem fluxionique ineptiorem reddet (2.) vasæ sanguis remedium sanguinis fluxum fissentibus , vel etiam hisce non conferentibus cauterio actuali seu certissimo remedio , vel eorund compressione imposito digito (quod tamen improbat Barbette Chirurg. Part. 2. l. 2. c. 4.) donec sanguis circum circa concrescat , sive pulvillo duriusculo arresta fascia comprehenso aut constrictione laquei sive alterius vinculi , obturabit (3.) Ligaturis artuum strictioribus per intervalla solvendis , cucurbitulis item non scarificatis , Hypochondriis aut mammis appositis , affluxurum sanguinem retardabit. Primam intentionem obtinebit seq. pulvere à B. Dn. D. I. C. Fanfio Arbiaturo Palatino dignissimo in Colleg. M. SS. in Hartmanni Praxin Chymiatritam commendato ; & Magist. Saturn. Croci Veneris , Camphor. magister. Thuris , myrrh. ana zij. cohoba ztia vice cum aq.O. vel ejus phlegmatis & vspem. ranar. semper rufus exsiccando , dos. 3ß. vel : & Croc. & adstr. 3j. usn. Cran. human. pulveris. 3ß. M. Div. in 2. part. æqual. S. Blutstillung.

Medicamenta ad secundum scopum consequendum possent esse seqq. Rec. Sangu. human. tosti pulv. O. crud. ana p.æ, subigantur cum album. ovi, vasique sanguifero cum stappa applicetur. Vel : Rec. Cortic. Granator. aloës succotr. ana 3ij. usn. Cran. human. 3j. S. Pulver einzustrenen. Laudatus Dn. Faustus l.a. balsamum seq. mirificè extollit. Rec. Aloës Hepat. sangu. Dracon. ver. ana 3j. sangu. human. 3ß. pilor. lepor. adust. 3j. T. S. 3ß. 3j. imbiē cum sp. Vitr. 3ß. Sp. Vin. 3j. macerentur per diem naturalem, postea affunde Spir. Vin. rectificatum ad eminentiam iv. digitorum, extrahe omnes tincturas; Spir. abstrahe in MB. ad consistentiam balsami. Intingitur ista spongia (crepitus lupi dicta) quā Chirurgi frequenter utuntur, & apponitur.

## SECTIO II.

### Syncopen exponens.

**S**yneope, animi deliquium. Ohnmacht est immunita vel deficiens Flammæ vitalis ex corde in corporis ambitum continuatio, ob pulsum valdè immunitum. Hunc immunit subita mutatio tam corporis, quam animi affectu vehementi nata, cordique communica ta. Mutatio vero hæc subitanea non aliunde in Vulneribus ortum habet, quam vel ex pusillanimitate Vulnerati cruenti ; vel nimio dolore ; vel profusione sanguinis largiori ; vel Vulneratione venenata. Hancque efficiunt, pusillanimitas quidem calorem ex terrore imbecillum in corde cohibendo ; ut partes reliquæ ex ejus deficiente vel immunito influxu languescant ; Dolor vero humorum & spirituum motum turbando, nimiasque vigilias, vires deſicientes, excitando. Profusio sanguinis autem idipsum præstat spirituosas & Sulphureas ejus portiones Flammæ sive Caloris pabulum simul per extravasationem abſumendo. Vulneratio tandem venenata hoc effectui dat, quatenus miasmagis venenati fermentum illico per totam sanguinis massam dissipatur ; portiones infectæ statim ab æquabili mixtione solvuntur, in partes secedere & coagulari, incipiunt ; eademque in cordis ſinus delatæ ibidem stagnant, tristemque hunc affectum producunt adeò, ut niſi mature generosa remedia flammæ continuationem sanguinisque motum redintegrandia adhibeantur, vita à vigore flammæ istius

istius dependentis cum morte mutatio subsequatur. Ubi itaque harum causarum præsentia aderit & vehementia, syncopen futuram facile prænoscemus, quam jamjam appropinquare hebetudo oculorum, fastidium frequens, extremarum partium refrigeratio, labiorum tremor & livor, aurium strepitus, pulsus arteriarum carpi deficiens, indicabunt. Præsentem autem post symptomatum dictorum prægressum sudor colli & faciei frigidus, corporis totius frigida, viriumque prostratio, pulsus qq. cordis & respirationis abolition, imaginem mortis repræsentans, clare indicabunt, ut jam de remediis, quam ulterioribus signis nos magis sollicitos esse deceat. Cum extremum vitæ periculum instet, & diuturna & confirmata nullum medicinæ locum concedat, teste Galen. 12. meth. med. c. 5. In ea enim ob defectum respirationis & spirituum jacturam calor in dextro quidem Cordis ventriculo per suffocationem; in sinistro per ~~adipar~~ non potest non extingui. Incipienti igitur nondumque confirmato animi deliquio quām citissimè erit occurrentum, tribusque indicationibus satisfaciendum. (1.) Omnimoda resolutio Spirituum Flammæque extinctio prohibenda. (2.) Spiritus cum calore restaurandi. (3.) Eorundem diffusio in ambitum Corporis procuranda. Priorem intentionem obtinebimus faciem & pectus spiritu quodam odorato vel v fragrantissima rosarum, Cinamomi, Vino itidem & modico aceto frigidis irrorando, naresque & labia arctissimè tam diu constringendo, usque dum æger necessitate respirandi adductus, veluti ex somno profundo expergefiat, & ad assumenda medicamenta generosa q. evigilet. Secundum scopum assequemur balsamis odoratis narium palatique inunctione, medicamentorum spirituorum facile inflammabilium & penetrantium, in quotum classem veniunt Elixir vitæ Matthioli, Aq. mirabilis Langii &c. propinatione, epithematumque & saccularum ex speciebus cordialibus v Cinamomi madefactorum regioni cordis & carpis impositione, viribusque paulisper collectis alimentorum gratorum optimeque nutrientium, qualia sunt juscula contumata, ova sorbilia, panis martius, &c exhibitione. Tertiæ indicationi satis fieri frictionibus asperis, vellicacione aurium & pilorum ē naribus evulsione, nec non partium lateralium plantarumque titillatione. Hac enim ratione Calor concentratus ad illas partes quasi evocatur, & cum sanguine Spiritibusque denudacēns ad influxum invitatur. Hæc in præsenti.

Futurum animi deliquium iisdem quoque facile præcavebimus. In specie si ex pusillanimitate hæmaphobi oriatur, multum conduceat haustus vini generosi & spirituosi flammam vitalem augentis, mentemque exhilarantis, addita consolatione narrationeque similiū casuum, beneque sperare jubendo quo minus absciat animum & metui mortis succumbat. Si ex dolore metuatur, mitigabimus cum remotione causarum in seq. Capite tradenda. Si ex Hæmorrhagia largiori ejus adventus timeatur, ratione Capite præcedenti adducta ei præveniemus. Sin' à Vulneratione venenata ipsum jam iam præsens fore existimabimus animi deliquium, tunc & alexipharmacis seu bezoardicis malignam qualitatem attenuantibus & per sudorem dissipantibus, per os exhibendis; & præsidiis attrahentibus & recursum sanguinis prohibentibus exterius admovendis ei viam præcludemus. Illic conferet seq. Mixtura cochleatim usurpanda ~~per~~ v. Menth. ʒij. vite Matth. ʒj. Ess. Theriac. ʒl. ol. Caryophyll. gt. vj. Sirub. Cochlear. ʒj. M. Iste conduceat Cucurbitulæ affixæ vulneri, & Cataplasma ex farin. tritic. cum pulv. scord. Scabios. luccis. C. B. angelic. petasit. & similibus paratum, it. seq. Emplastrum. ~~per~~ Cæpar. coctar. ʒijj Theriac. ʒß. sterco. ciprin. ʒi. rad. angel. pulveris sat. ʒß. ol. Scorpion. ʒß. Mellis & Ceræ q.s. M.F. Empl.

## SECTIO III.

### Dolorem considerans.

**Q**uomodo is animum moveat, sensibusque tam internis, quam externis quietem nullam concedat, atque virium dissipatione syncope proponat, modo dictum est. Supererit nunc de remotione Causarum ejus quædam addantur. Quoniam v. ejus Essentia in solutione continuitatis, ab actione violenti tangibilis, dependet, quamdiu hæc perseverabit, ille recrudescet. Maturè itaque ejus removendæ causæ, sive externæ fuerint, ut p.n. infixum inimicæ qualitatis instrumentum, nimia vulneratæ partis constrictio, medicamentorum acrum nimis & calidorum usus, aëris ambientis inclemens &c. Sive internæ, ut puris retenti copia, Inflammatio & Erysipelas, quos affectus in c. iv. & v. seorsim consideraturi sumus. Posthæc ipsi Vulneri mitigantia atque anodyna applicentur v.g. oleum rosac. lini, charomilli.

momill. Iumbricor. terrestre. vitell. ovor. Ungu. anodynūm. Vel  
g. ol. rosac sem. papav. Chamom. ana 3ij. vitell. ovi cum album.  
N. j. Croci 9j. m. Internē propinetur ieq. emulsio: Rec. sem. 4.  
frigid. major. papav. ana 3ij. c. s. q. v. flor. Nymph. semperviv. fiat  
emulsio, cui addatur pulv. anodyn. 3j. D.Sign. Schmerz stillende  
Milch wol auffgerüttelt zu nehmen. Si à puris retenti copia dolor au-  
geatur exitus ei paretur. Cavendum tamen in majori copia si adfuerit,  
ne simul & semel, sed per vices extrahatur, cum Hipp. 6. aph. 27. subi-  
tam cumulatamque evacuationem lethalem pronunciet,

## CAP. IV.

### Inflammationem proponens.

Inflammatio, Phlegmone die Enzündung/ heisse Geschwulst/ est tu-  
mor p.n. calidus à sanguine arteriarum propter impedimentum per ve-  
nas recursum subsistente. Cum enim sanguis per arterias sit irrevoca-  
bilis, neque per venas refluere possit, quoties vel pori, vel vasa par-  
tium contusione aliave ratione & conclusione obstruuntur, meatuum.  
que tām sensibilium, quām insensibilium ordo sectione sive divisione  
turbatur; hinc necessario moram sanguis uterque tām præsens, quām  
subsequens trahit, & quacunque licet perpetua novæ portionis acces-  
sione propulsus in poros partium penetrando difflit, easque in magni-  
tudinem p.n. attollit, continuatatemque ipsorum solvendo dolorem  
excitat, ut magna vulnera, magna Inflammatio, magnam Inflamma-  
tionem magnus dolor fere sequatur. Non quod pars affecta attrahat,  
vel quod natura subsidiarias operas parti lœsæ prudenti conatu ferat,  
sed irrevocabili sanguinis ad partes per arterias motu. In Curatione  
igitur iv. tempora probe erunt observanda: alia enim in principio,  
alia in augmento, alia in vigore, alia denique in declinatione facienda.  
In principio quidem, nisi sat ingens sanguinis Copia profluxerit, quām  
primum vena in opposita parte secanda, sanguisque pro ratione abun-  
dantiæ & virium robore extrahendus, quippe quanto citius sanguis  
V.S. extrahitur, tanto minus Inflammatio urget. Purgationem verò  
contra communem sententiam meritò hic improbo. Per rerum enim  
naturam ubi copia sanguinis alias laudabilis & sinceri minuenda,  
non potest locum habere vitiosorum quoque humorum proventus  
per purgationem eliminandus: & contrà ubi vitiosorum humorum

congeries per purgationem exturbanda se se offert, ibi non potest adesse  
 & sanguinis copia per V.S. minuenda, ut rectissime judicavit laudatus  
 Dn. D. Mauricius Hoffmannus in Prælect. publ. Interim clysteres e-  
 mollientes ex decoct. malv. violar. lactuc. Nymph. cum ol. violar. aut  
 rosac. & saccharo Thomæ o paratos, tantum abest ut improbum, ut po-  
 tius suadeam maximopere His universalibus præmissis ad topica, qualia  
 sunt repellentia atq; intercipiéta sive adstringendo siccantia, quæ poros  
 coarctando & sanguinem ab iisdem removendo, eum quasi retundunt  
 & repellunt; deveniendum; nec tām parti jam affectæ, quām circa eam  
 illa applicanda; idque propter meliorem materiæ jam præsentis dissipati-  
 onem & absumtionem, quod non fieret, si saltim inflammatæ parti  
 repellentia illa admoverentur, eo quod hæc poros constringentia sic  
 exhalationes & dissipationes portionum vitiosarum prohiberet. Rec.  
 Aceti rosac. 3ij. album. ov. conquass. N. iiij. boli armen. 3iiij. lap. hæmat.  
 3i. m. f. Cataplasma. Verū repellentia hæc saltim hoc in casu locum  
 inveniunt, ubi materia inflammans partibus principibus adeoque  
 Flammæ vitali, vitæque ipsi non est tam inimica & malignè infensa.  
 Si enim istud, potius evocantia, extrahentia, diaphoretica & alexiphar-  
 maca adhibenda, ut materia peccans maligna è corpore excludatur,  
 ne rursus per repellentia in massam sanguineam redundet, malumque  
 augendo periculosius reddat; Sed conatus Naturæ juvetur. In augmen-  
 to autem, quod ferè 4to die l. post eum accidit, repellentibus digeren-  
 tia associanda, ut tām materia affluens retundatur, quamquæ affluxit  
 digeratur & absumatur. Barbette laudat in Chirurgiæ part. 2. lib. 1. c. 2.  
 p. 94. seq. Cataplasma. ~~N~~ stercor, vaccin. 3hj. succ. Cicutar. 3i. ol. Cha-  
 momill. 3s. Castorei 3ij. bol. arm. 3s myrrh rubr. 3ij. Croci 3j. Farin.  
 lupini q. l. m. F. Cataplasma. In statu verò, si ad suppurationem tendat  
 materia, quod per pulsus præsentiam facile dignosci potest suppura-  
 tia, digerendo resolventia, applicanda. ~~N~~ Rad. alth. lil. alb. ana 3j. fol.  
 malv. branc. ursin. senec. ana mj. Caricarum pinguium patia V. coctis  
 in v. simpl. & contusis addatur farin. sem. scenugr. lini ana 3j. pingu.  
 Gallin. suilli. o. o. Chamæm. Lil. albor. ana 3j. F. Cataplasma. Si ve-  
 rò insensibilis transpiratio, quæ optimus est in tumoribus solutionis  
 modus, speranda, quod ex signis à membris lenitate, deficiente pulsati-  
 one desumendis cognoscitur, sola digerentia parti afflictæ imponen-  
 da, quibus tandem roborantia adjicienda. In hunc finem pars affecta  
 lana succida, spongiis & spleniis vino calente imbuitis postea expressis  
 & admotis foyeatur & post fomentationem Ceratum Diapalmæ Galeni

cum o<sup>o</sup> o Chamæn. emollitum adhibeatur. In Declinatione robora-  
bitur pars debilis sacculo ex fol. & flor. beton. salv. rorismar. absinth.  
& Chamæm. parando & cum vino calente parti debilitatæ imponen-  
do, qua ratione vulneris quoque consolidatio accelerabitur, qua eò  
felicius succedet, quo diligentius congrua Victus ratio, tenuis sc. &  
refrigerans, animique pathematum moderatio per omne curationis  
tempus fuerint observatae.

## SECTIO V.

### Erysipelas enucleans.

**E**rysipelas, Rosa, Ignis S. Antonii die Rose/ das Rothlauffen/ est tu-  
mor p. n. fervidus, à bile ex impedito per venas cum sanguine re-  
cursu in superficie partis vulneratæ stagnante. Causam posui bilem,  
quæ natales suos sortitur ex calidiori ac tenuiori massæ sanguineæ por-  
tione, ob vitiosam viscerum calidorum dispositionem sanguinis tran-  
situs turbantem, ipsiusque flammatum dissipantem, ichorescente, acti-  
moniâ que feryore, & tenuitate furente. Hæc clicet mediante sangui-  
nis motu ad varias ex corde per arterias dispergatur partes, ab omnibus  
tamen refluit fluida suâ substantia facileque mobili sanguinis ductum  
prompte sequens, donec tandem ad vulneratum locum ob impeditum  
sanguinis refluxum successi ve collecta tenuitate sua ad ambitum pat-  
tis per angustas muscularum porositates penetret, & in extimis sive cu-  
taneis efflorescat, sanguine interim qualicetunque ratione cursum  
suum ad Cor. absolvente. Atque hinc vulnerata pars ejus præsentia non  
tantum summo afficitur dolore, difficiliusque consolidatur, sed & ad  
fluxiones in posterum sulciendas ita disponitur, quemadmodum  
etiam per alias lœsiones ordinem vâorum & meatuum capillarium  
turbantes accidit, ut nullus humor noxius in visceribus sanguini per-  
misceatur, qui non dicta ratione per motum ejus reciprocum viam af-  
ficit, docente nq. satis laudando Dn. D. Maur. Hoffm. in Præl. publ.  
Curatio igitur præmissa Diæta refrigerante erit ita instituenda, ut ma-  
teria efflorescens ex loco affecto evacuetur, minime v. repellatur, aut  
nimio refrigerantium usu condensetur. Ut autem evacuatio ex loco  
affecto feliciter instituatur, causæ antecedenti sanguini scilicet icho-  
rescenti & ad partem lœsam properanti occurrentum. Id quod o-  
mnium optimè fiet diaphoreticis. V.S. enim & purgatio, illa quidem

propter metum, ne natura jamdum sanguinis defectum ex vulnere sentiens humorum palindromiam instituat, hæc verò in hoc affectu non sine rationis atq; experientiæ suffragio, periculosa, quod non raro pectoris angustia, indurations hepatis, lienis, artuum aliaque mala ex intempestivo horum præsidiorum usu ægros postea infestaverint. Sudoriferum potest esse seq. Rec. Rob. Sambuc. 3ij. Magist. C.C. sine igne ppt. 3j. sal. viper. 3j. Detur in vasculo S. Schwis. Latwerg. Sambucus enim hujus mali Panacea à Practicis habetur, quippe non solùm dia-phoresin instituit, serositates acres eliminat, eorumque proventum præcavet: sed & exterius impositum fervorem mitigat & extinguit, portionesque ferocientes malignas extrahit, omnemque exulcerationis metum, si in tempore adhibetur, tollit, præsertim si Rob. cum vitello ovi cocto & nitro commisceatur. In defectu hujus conduceat pulv. Erysipelatis Mynsichti, quem certissimo esse experimento scribit D. Michaëlis PP. olim Lipsiensis & Practicus felicissimus in Colleg. M. SS. ad Jonstoni, Dn. Affinis mei, quem Parentis loco sanctè veneror, Ideam Med. Pract. habito. Vel Rec. v. Sambuc. bis destill. artemis. Vermicular. ana 3j quæ calidè cum linteis apponatur, nec metuendum hoc vulgi, humectationem dissuadentis, man soll es nichi negen. Humida quippe extrahtentia non nocent, frigida verò & repellentia quam maximè. Si verò Erysipelas minus sit sincerum, sed œdematosum Cataplasma ex farin. fabar. fœnugr. Orob. lupin. cum tartaro & nitro paratum, applicandum suadet Dn. D. Maur. Hoffm. I. a. tamdiu donec omnis materia evanuerit, quod cognoscitur ex pruritu partis affectæ, cutis desquamatione & actionum integritate. Barbette l. c. habet seq. linimentum Rec. Troch. alb. Rhas. 3ij. Myrrh. rub. Lytharg. aur. ana 3j. flor. sulph. 3ß. sarcocoll. 3ij. album. Ov. q. s. F. linim.

## SECTIO VI.

### Febrem explicabit.

**M**agna Vulnera magnam Inflammationem sequi, hujusque Occasione calefactum læsæ partis sanguinem veluti fermentum quoddam reliquum sanguinem nunc facilius nunc difficilius pro vario humorum massæ sanguineæ confusorum apparatu servefacere, ex dictis constat. Fervefactum autem in corporis habitum indesinenter sese diffundendo, partesque insolito calore & p.n. afficiendo, non posse non febrim

febrim & quidem continuam, quæ est Intemperies totius corporis calida absque ullo rigore aut totali remissione, à fermentatione massæ sanguineæ vitiosa per causas externas introducta, producere illum, cui fermentationis doctrina innotuit, non potest latere. Cum verò illa per præsidia generalia, Inflammationi præscripta plerumque solvi soleat, peculiaris curationis tractationi hic possumus supersedere. Quod si tñ ultra terminum Inflammationis perduraverit, delitiumque aut Convulsionem excitaverit, tunc ejus ratio tanto major erit habenda per diætam refrigerantem & tenuem, V. S. Clysteres, aliaque præsidia transpirationem corporis juvantia, malitiamque humorum præcipitando corrigentia, quanto majus periculum minatur,

## SECTIO VII.

### Delirii naturam & Curationem tradens.

**D**Elirium est depravatio sensuum internorum, à Spiritibus animalibus corruptis & ad motum turbulentum concitatis. Corrum-puntur autem Sp. animales in Vulneratis, dum vel vitiosi corporis vapores aut humores tām ante vulnerationem delitescentes, occasione ipsius in actum prorumpunt, quām demum post eam præsertim venenatam orti atque commoti spiritibus admiscentur atque confunduntur. Agitantur a. inordinate, dum ab miasmate venenato ad fermentationem & tumultuationem incitantur, ut in cerebro turbas dare necessum habeant. Id quod in partium carnosarum læsionibus rarius, quam in articulorum nervosarumque partium Vulneribus accidit, ob consensum nervorum cum cerebro intercedentem. Propterea quoque in hujus affectus nervorum læsiones comitantis curatione sedulo erit prospiciendum, ut spiritibus sua sinceritas mature restituatur, & ad statum tranquillum cum animo reducantur, ne malum malo ageatur. Quod igitur primum scopum attinet, illius compotes siemus, si i. vaporum & humorum vitiosorum ulteriotem proventum per rerum n. n. usum ad frigidum vergentem & humidam, inhibeamus. 2. Sanguinem moderatè ex opposita vulneri parte, si vires permittant, extrahamus. 3. Alvis ut sit aperta, prospiciamus Secundam Intentionem obtinebimus, si causam morbificam radicitus extirpemus. Hac fini ergo cucurbitulæ cum multa flamma cervici affigantur, parti vulneratae attrahentia applicentur, ut venenata qualitas, si adfuerit, e-

vocetur, pedum lotiones instituantur, blandeque repellentia per oxyt.  
rhodina, vigilias in hoc malo simul orientes respicientia, cum ex 2. aph.  
2. Somnus delirium sedans bonum sit, admoveantur quorum ut & alio-  
rum Cephalicorum usū caput quoque roborandum, ne vaporess ad-  
scendentess aut cum sanguine affluentes humores promte suscipiat, alia-  
que omnia præmittenda sunt, antequam ad Narcotica veniamus, cùm  
ex eorum usū delirantes facile in lethargum præcipitentur. Vulneti  
posset seq. applicari. Rec. o° o scorpion, millefol. ana 3. The-  
riac. recent. 3ij. M.F. linimentum. Lavacrum ex seqq. præparetur Rec.  
Fol. vitis, salic. Lactuc. fl. Nymph. ana mij. rosar. rubr. viol. mj. Capi-  
tum papav. cum sem. mi. ss. Concidantur & decoq. in s. q. aq. fontan.  
Fiat lavacrum, in quo tepido crura per dimidiam horam fomententur.  
Capiti applicandum cea singulari experientia comprobatur remedium  
suadet Joël lib. 1. Pract. Sect. 2. pulmonem agni aut arietis recenter ab  
animali evulsum & adhuc tepide applicatum. Prius tamen abraden-  
di sunt pili Capitis, & ubi refrixit pulmo, rursus in v calefaciendus  
iterumque admovendus. Internè potest assumi sequens potio Rec. v.  
Nymph. anagall ana 3ij. Sirub. de Nymph 3vi. Ess. anagall 3j. Cran.  
human. 3j. S. Transt zu weisen davon zu nehmen.

## SECTIO. VIII.

### Motus Convulsivos ponderabit.

**H**i cum ex spirituum animalium vitio à vulneratione introducto se-  
pius accidunt & 5. aph 2. pro lethalibus habeantur, horum natu-  
ram brevibus hic quoque designare debui. Est a. Convulsio nihil aliud,  
quam depravatio motus & interdum sensus partium musculosarum, à  
sanguinis & Spirituum animalium acescentia & congelatione. Quan-  
quam hujus morbi causa vera tantis tenebris & obscuritatibus involu-  
ta lateat, ut Auctores licet in ea invenienda nec tempori nec labori  
pepercerint, vix tn. potuerint efficere, quo animus avidus veritatis, pe-  
nitus expleatur, omnibusque scrupulis liberatus extet; interim in hac  
rerum caligine hanc ceu rei explicationi admodum faventi cum Neo-  
tericorum plerisque libuit ponere. Acescunt autem l. congelantur  
spiritus animales, dum in vulneribus vel initio vulnerationis nervis  
aut nervosis partibus quidpiam extranei communicatur, quod fermenti  
instar sese per sanguinis & spirituum substantiam adeoque totum  
corpus diffundit, eorundem ~~egregi~~ pervertit, ut in Venenatis iictibus

aut mortibus; velle sione nervorum per caloris nativi ob vigilias &  
 dolores dissipationem l. punitis praesentiam tales redduntur, vel in cor-  
 pore vitium latens exsuscitatur, ut in nervos irruens vires suas exses-  
 rat. Producuntur autem horrenda hæc spectacula mediantibus muscu-  
 lis qd. sc. spiritus peregrinus musculi partes expansas intrat, easumque  
 spiritus laudabiles ex parte supprimendo, ex parte vero sibi informan-  
 do, moleculas porosque ejus pervertendo ac perstringendo, figuram  
 efformat coarctatam, ut musculus qui antea in longitudinem erat pro-  
 tensus, jam versus sua principia rapiatur, & per hunc membrorum in-  
 voluntaria contractio inducatur. Tristisque hæc rerum facies conspici-  
 tur interdum l. in toto corpore, si ex spinalis medullæ principio ad mu-  
 sculos trunci & artuum æqualiter dispersa fuerit materia vitiosa, ut in  
 Tetano; vel Emprosthotono, si ad antrum recurvantes corpus mu-  
 sculos inclinaverit, vel opisthotono si ad retrosum erigentes muscu-  
 los penetraverit. Vel observatur saltim in parte quadam spasmique  
 nomine venit, si in musculos tibiarum & humerorum digitorum que  
 manuum ac pedum materia morbifica dispergatur. Cum a. oculorum  
 musculi convelluntur, strabismus, si oris musculus latu ab una parte  
 contrahitur, spasmus Cynicus; sin ab utraque, risus Sardonicus succe-  
 dit &c. vid Practici. Curationi nos accingentes eam absolvemus a-  
 cescientiae & congelationis spirituum ulteriore prohibitione, materiæ  
 nervis inimicæ remotione. Huc verò faciet multum ex Universalibus,  
 si sanguinis copia causam peccantem foyens præsto erit, & vires per-  
 miserint, ejusdem per V.S. brachii dextri, vel in defectu virium per sca-  
 rificationem extractio, & ut alvus officio suo respondeat, prospectio  
 tandemque sudoriferorum, quæ & partes principes roborant, malig-  
 namque qualitatem expugnant, legitimus usus. **R** Diascord. Fracast.  
 3ij. pulv. Cephal. sal. C.B. ana 3ij. cum sirub menth. q.s fiat bolus. In-  
 terea verò Topicorum ex Calefacientibus, siccantibus, digerentibus, di-  
 scutientibus ac lenientibus nervoso geneti amicis paratorum, formaque  
 vel linimenti s. unguenti, vel emplasti s. Cataplasmatis vel fomenti in  
 balneo aut sacculo eam loco vulnerato quam cervicis spinalisque me-  
 dullæ propaginibus insignioribus atque inguinibus applicandorum u-  
 surpatio acceleranda, quo major à naturali statu recessus p. n. partium  
 inhibetur. Laudatur in hunc usum à Barbette Chirurg. part. 2. l. 2. c. 4.  
 seq. ungu. **R** ol. limac. lumbrie, sesam. ana 3ij. pingu. arietin. vulpis  
 ana 3j. butyri non saliti 3vj. sp. vini. 3jj. Coq ad spiritus consumtio-  
 nem addendo o. spic. destill. rorismar. succin. alb. 3ij. M. F. ungu.  
 quo

quo nucha, spinalis medulla & pars affecta calide inungantur. Idem l.a. dicit efficacius & præstantius contra Convulsiones medicamentum se invenire non potuisse, quam ol. Lavendulæ destill. cuius aliquot guttis pars affecta non duntaxat est illinenda, sed etiam quibusdam internè exhibenda. Si ex ictu l.morsu verenato vel acrioris puris conclusivi convulsionem pars affecta sentiat, ab initio etiam topica attrahentia, ut cucurbitulæ, præsidiaque puti præclusam viam aperientia optima erunt, præcavebuntque ut aliæ partes in consensum trahantur. In eum finem emplastrum seq. quod tam partem roborat, venenum extrahit, quam pus producit carneque vulnus replet, adhibendum suadet laudatus Bar-bette l.a. & Gumm. Galban. Sagapen. Opopanax. Asæ fœtidæ myrrh. Piperis, sulph. ana zj. stercor. Columbin. anat. ana zj. Mum. Zj. rad. Consolid. maj pūlv. sat. zj. ol. Hyperic. q. s. M.F. Empl.

## SECTIO IX. Paralyxin dilucidabit.

Hujus tractatio meritissimo suo hic instituitur, cum etiam nervosarum partium affectus sit vulneris consolidationem impediens. Describitur autem motus voluntarii, interdum etiam sensus ablatio, à spirituum animalium defectu in musculorum nervosis partibus. Deficiunt verò spiritus I. quoad substantiam, quando non transmittuntur, vel ob paucitatem post sanguinis profusionem, Flam-mæque vitalis dissipationem; vel per subsidentiam, si alterius Cerebri parte cerebellum & spinalis medulla ita comprimuntur ut spiritus transmittere nequeant: vel etiam transmissi subsistunt, ob transitus difficultatem, quod tamen à soluta nervi unitate, quā angustia ejus ex adstrictione, compressione & obstructione potest dependere. II. quoad efficaciam, qn. spirituum frigidioris sanguinis naturam sequentium calor naturalis cum cerebri debilis, tum aliarum partium frigidity atque humiditate ita labefactatur, ut sp. qs. vappescant, ne turgere adeoque nec fibrarum distorsione mūculos contrahere valeant. Hinc accedit interdum, quod sensus superstes possit esse deficiente motu, & contra, salvo motu sensus deficiat. Et illud quidem sit, si spiritus animales admodum parcè influant, ut saltim ad sensum, minimè ad motum, ubi longè plures requiruntur, sufficient. Hoc verò diverso nervorum situi & disseminationi adscribendum. Ita primum & secundum par obstrui potest, tertium tamen intactum relinqui. Licer autem moevis membra, tempore curationis, non requiratur, cum quiete potius

opus sit ad consolidationem, tamen quoniam hæc ipsa durante spissitudine animalium cum sanguine arterioso per poros partium penetratione veloci facilius & felicius succedit, ad mutationem vero qualemcunque naturæ conatus turbari solet, ejus ratio hic quoque habenda, & eo major, quo perfectior ab ipsius expectatur integritate. In curatione igitur Paralyseos illius, quæ in vulneribus accidit, de qua hic nobis præcipue sermò est, dimissâ universali quæ cerebri & cervicalis propaginis culpa provenit, & in Practicorum libris tractatur, ante omnia videndum, ut causa removeatur membroque vulnerato pristinum robur restituatur, alias enim resolutum permanebit, & nunquam sanabitur. Proinde non tantum nervi ad ipsam partem læsam disseminati origo remedia sibi applicanda postulat; sed etiam vulnus considerandum, utrum profundum aut transversum aut oblongum in capite l. ventre musculi circa articulos, instrumento acuto, secante & à robusto fuerit inflictum; inquirendum item an statim in principio Paralysis adfuerit, an vero finità demum unitione accesserit. Sive autem cum vulnera incepere, sive post conglutinationem orta fuerit nervi resolutio, nullo cerebri spirituumve vitio præsente, nervi læsionem cum spirituum vel effusione vel eorundem impedito transitu conjunctam significabit. Cum spirituum profusione erit (1) si nervus fuerit præcisus, qui ex 6. aph. 19. Hipp. nunquam, vel admodum raro, ut in molliori nervorum minorum ætatis accrescentis constitutione, coalescat, adcoque spiritus animalis influxus ad partem istam perpetuò deficiet, cum motus vel sensus abolitione, pro variâ nervi insertione & partis configuratione. (2) Si incisi oblonga aut obliqua fuerit procopia erumpentis spiritus cum torpore vel stupore conjuncta, conglutinationem persiccantia & digerentia temperata matutabimus, quæ inter laudatur seq. Linimentum. 2. Axung. human. anser. ana 3ij. ol. terr. 3ij. in ungatur eo pars affecta mane & vesperi, dein super imponatur Emplastrum de Ladano l. Diachyl. cum Gumm. non omissis inunctionibus spinalis medullæ externis unguento, præcedente sectione de motibus convulsivis præscripto, internisque medicamentis partes principes roborantibus. Recip. Conserv. primul. veris 3i flor. anthos, Lavend. salv. ana 3ß Nuc. indic. condit. 3ij. Cran. human. Succin. ppt. ana 3j cum f. q. Sirub. de beton. F. s. a. Elect. S. stärkende Latwerg. Cum impedita vero distributione, si læsio nervi, contusio aut conquassatio fuerit, medullarem ejus substantiam ad latera vel extrema exprimens, transitumque spirituum minime concedens tunc digerendo lenientia & emollientia optimo consilio adhibebimus, quæ ex præcedentibus desumi pos-

sunt, quo spiritibus liber transitus per mollem substantiam reddatur. Eadem convenient etiam præmisso sudore, si ex affluxu humorum in nervos occasione contusionis facto, nervi durities transitum spirituum impedit, quibus fomenta quædam emollientia tandemque roborantia adiiciemus, quo parti sua integritas restituatur, nec quemvis humorum impetum reformidet. Diaphoreticum sit tale  
 q. Magist. spin. viper. Ðß. Cinnab. antimon. ritè ppt. gr. viij. bezoard.  
 Ð gr. v. m. S. Schwefelpulver auff einmal. Fomentum ex seqq. potest parari Rec Herb. Serpill. salv. orig. Chamædr. Chamæpit. fol. laur. ana mij baccar. juniper. mij. rad. Imperat. Žij. sulph. nitr. ana Žij. incisa coq s. q. v. quâ pars affecta saepe calidè abluatur, & foveatur.

## S E C T I O X.

## Pruritum explanabit.

**E**T si hoc symptomam levius videatur & actionibus hanc facile incommodet: tamen si pruritus molestus nimis sit, mitigationem postulat, ne ægrum ad scalpendum invitando, ipsum in hemorrhagia novæ, excoriationis & affluxus humorum ad partem affectam, periculum inducat. Est autem molestia quædam dolorosa, ab acris serosæ humiditatis supra cutim sub cuticula effusione. Acris vero & serosa hæc humitas excrementitia in vulnerum consolidatione præcipue oritur ex ipsa partis substantia, qn. sc. illa ex vulnere aut topicorum usu debilitata alimentum sibi assimilandum non omne assimilat, sed partes quasdam tenues per poros cutaneos transsudantes diffluere sinit, sub cuticula v. ad hæsu sordium oleasartum & purulentarum condensata coercet, ut egregiè explicat. Dñ D. M. Hoffmann, l a. Hæcque sentientes cutis fibras a criminâ suâ vellicat, pungit & ad scalpendum irritat. Si ergo æger puncturam istam moleste ferens assiduam scalperi cupiditatem impleat, pustulas miliares seu vesiculos cuticulam attollentes & ruborem ex affluxu sanguinis in parte affecta non sine excoriationis, non nunquam & inflammationis periculo, excitabit. Quare quam primum ei obviam erit eundum, priusquam nimium exacerbetur, cumque dolore paria faciendo vigilias vires prosternentes, inducat. Removebitur vero dolorosa ista molestia præsidiis topicis leniendo digerentibus & refaciendo discutientibus. Id quod optimè præstat aqua salsa tepida, si membrum affectum saepius spongiâ novâ in eadem vel lacte tepido expressa foveatur dein linimento ex ungu. de liquiritia & ol. vitell. ovor. cum pulvere Nitri parato, illinatur. Interea congrua victus ratio, & reliquarum rerum non naturalium usus conveniens adq; frigiditatem & humiditatem inclinans, non erit negligendus.

## Atrophiam ob oculos sistens.

**Q**uemadmodum ex sanguine ad vulnerata loca impuro, sive vicio-  
sis humoribus adulterato, atque intra poros postquam penetravit,  
relicto, tumores existantur; ex laudabili vero & fibrofa sanguinis sub-  
stantia non in poros se diffundente, sed in carneam massam concre-  
scente, sarcoma producitur; ita accidit saepius, quod, si fractura, con-  
tusione, tumore, vinculo arctius consticto, similibusque, nervi vasq;  
sanguifera vehementer adeò comprimantur, spiritibus & sanguini suf-  
ficiens ad partes denegetur aditus, quem denegatum necessario partis  
sequitur emaciatio. Hujus talem damus descriptionem. Atrophia das  
Schwinden / est morbus organicus in magnitudine deficiente à succi  
nutritii penuria propter vasorum angustationem oborta. Pro curatio-  
ne, cui nos citra ambages accingimus, cum nobis sit properandum, ab-  
solvenda, causæ externæ removenda, sedulocq; ut sanguini & spiritibus  
animalibus ad partes accessus concedatur, curandum. Hunc procura-  
bitus, si præter plicationes & frictionem pannis calidis institutam, oleis  
& unguentis caliditate pollutibus inunctiones partis tabescentis &  
fomentationes instituantur. Illustris Jonstonus, patronus meus O. M.  
ex Sebastiano Austrio de morbis puerorum p. 555. in Idea Pract. l. 10. tit.  
de Atrophia unguentum commendat ex seqq. parandum. Recip. Gum.  
tragacanth. Arab. ana 3j. in fund. in v Rosar. per diem & noct. & adde  
ol. violat. 3i. S butyr. rec. 3S. camphot. 3i. misce in mortatio cum lacte  
muliebri, ut fiat ungu. Conveniunt hic etiam arcana Ois Felic. Wür-  
zii, sp. formicar. lumbricor. terr. sp. vin. in quo radices Ari, raphani  
marin. semen urticæ infusa fuerunt. D. Michaël in Colleg. M.S. supe-  
rius cit.

## S E C T I O X I I. &amp; Ultima.

## Hypersarcosin manifestabit.

**R**Estat adhuc, ut cum vulnerum consolidatione, ad finem properan-  
ti etiam Dissertationis nostræ finem acceleremus quod siet, si pau-  
cis, quomodo carni luxurianti & retardata cicatricis inductione conso-  
lidationem difficilem reddenti, sit occurendum, prius viderimus.  
Est autem Hypersarcosis seu excrescentia carnea das wilde Fleisch, sub-  
stantia quædam fungosa carnem repræsentans in parte vulnerata p. n. excèdens  
ab excessu affluentis liquoris nutritii. Generationem ejus quod attinet, ea hunc in  
modum contingit: quando oscula vasorum nutritioni musculorum dicatorum,  
plus justo aperiuntur, sive id fiat per causam externam, ut medicamenta exterius  
apposita, carnem nimis generantia; sive internam in partibus indecenter motis &  
homi-

In omnibus plenioris, extravasatus humor viscidus & lenis calore nativo in carnem convertitur, in altitudinem, cum membrum tantum haud exigat nutrimenti, p. n. excrecentem. Quæcunque igitur succi nutritii copiam in corpore augere, ut vietus plenior; aut humorem alibilem condensare in parte affecta possunt, ut medicamenta sarcotica, illa pro Curatione, tanquam causæ, removenda. Itaque non modo vietus tenuis ægro præscribendus est, ut succi alimentabilis quantitas in corpore imminuat, quæ imminutæ in parte q. q. privata deficere necessum est; sed etiam à parte laborante sanguis arcendus tam adstringendo repellentium, quam detergendo siccantiū usū. Illuc facere possunt vincula leniter adstringentia, præmissa applicatione laminæ plumbeæ aut Empl. seq. Rec. Cortic. granat. Rad. bistort. & Z. scor. ferr. argent. viv. plumb. ust. ana Zij. bol. arm. lapid. hæmatit. & Z. iß. te rebinth. & Ceræ q. s. F. Empl. supra partem affectam applicandum. Huc Epulotica s. cicatricem inducentia conveniunt. Vide Barbette Chirurg. p. 174. Quibus frustis præmissis cathæretica, siue carnem corrodentia mitiora, ut alumenum ustum, cinis conchyliorum, spongia usta, ærugo, &c. substituenda sunt, antequam ad ferrum candens aut putrefacientia aut mortificantia, qualia sunt auripigmentum, arsenicum sive cauteria potentialia deveniamus. Commendatur seq. Rec. vitriol. optimè dulcific. Zj. ærug. æris, Vngt. Egypt. Z. B. M. F. Vngt. Quo paucorum dierum spatio nihil conferente, tumoreque in eodem statu permanente cauterium actuale adhibetur, cum ejus usu ad longum temporis intervallum tumoris accretio sistatur, immo aliquando totum eradicetur malum. Barbette Anat. pract. c. ii. p. 50. Et sic, divina permittente gratiâ, tractationem symptomatum vulnerum præcipuorum ad umbilicum perduximus. Fatemur equidem multa huic referenda restare; cum verò illa partim prolixiora forent, quæ ut hic possint tractari brevibus, partim ex dictis facile possint evitari, ea studio prætermittimus. Interea æquum censorem obnixè rogamus, ut si quædam minus ad palatum fuerint prolata, ea ingenii tenuitati condonet, & fragilitatis humanæ memoriæ qui bonique consulat.

Archiatro animæ gloria.

---

GEORGIVS FRANCVS, D. P.P. DECANVS  
ET ACADEMICVS CVRIOSVS  
Nobilissimo Viro-Iuveni  
IOH. GEORGIO CARISIO, MED.CANDIDATO DIGNISSIMO  
S. P. D.

Tûne semper

— auditor tantum; nunquam ne repones?

Tûne frustra Altdorffinum; frustra Argentoratense; frustra Heidelbergense frequentaveris Athenæum? Nihil minus. Prodi ergo doctissima & in praxi utilissima Tua de vulnerum symptomatibus dissertatione; solidæ Tuæ eruditioñis indice genuina. Nec est quod de Patronis ambigas.

Sat habet favorum semper, qui recte facit.

Eosdem Tibi ultra conciliabunt εὐΦύια Tua; Φιλοτονία, modestia, eruditio Candorque sincerissimus. Tu verò Optime Candidate; Ethnici optimum dictum Tibi dictum reputa:

— Semita certe

Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

Nullum numen abest, si sit prudentia;

Vale.